UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

§. 3. Secundò: transfigurat se Christus ad omniu[m] nostrum vtilitatem nobis præmium proponens, quod, dum est excellens, alas dat boui.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52962

Visual Library

Chriſtum audiebant, diuitias, regna, gloriam promittentem, ſicut defacto ſubſannabant illi, qui oculis tantum carnis eum cernebant: *Deridebant eum.* (Luc.16.14) Erat hoc verbum illis oppido familiare, ait D. Ioannes oblata horum occaſione: *Quomodo poteſt hic?* (Ioan.6.5.) Quin imo crucifixum deridebant; exprobrantes: *Se ipſum ſaluum facere non poteſt.* (Matt.27.42.) Si ſeipſum ſaluare ac liberare ſit impotens, qua ratione eum credemus fuiſſe, qui alios ſaluos fecerit, & nos quoque veniat ſaluaturus? Vt autem ſuos reddat certiores, & in illis omnes nos, aſſumit illos hodie in montem excelſum, & veſtimenti gloriæ ſuæ attollit fimbriam, & illam quidam ſegmentariam, ſplendidiſſimam, quâ eius anima veſtiebatur glorioſa, ex qua in corpus emanabat; ſpeciem quandam oſtendit opum illarum inæſtimabilium, quas arcæ ſanctiſſimæ carnis ſuæ gerebat inſertas, quibus & quis ipſe ſit agnoſcitur, & de promiſſis eius fides conſtat indubitata.

§.3. *Secundò: transfigurauit ſe Chriſtus ad omnium noſtrum vtilitatem, nobis præmium proponens, quod dum eſt excellens, alas dat boui.*

☞ 7 I. Præmiũ excitat hominẽ. (Ezechiel 1.)

ERat actus hic quoque conueniens, imo neceſſarius profectui noſtro, quò excitaremur & vires reſumeremus in ardua virtutis ac pœnitentiæ via, quam Chriſtus omnibus prædicabat. Nihil adeo hominem exſtimulat, ad quemlibet ſubeundum laborem, quàm oculis cernere ſibi propoſitum præmium, aut emolumentum. Myſtica & miranda pariter eſt illa vatis Ezechielis viſio. Spectanda illi proponit Deus quatuor diuerſis faciebus animalia: hominis, bouis, leonis & aquilæ, omnia alis & quidem ſenis volatilia, & ex volatus leuitate videbantur inſtar fulguris coruſcantis: huius ſumma eſt præ alijs omnibus in rerum natura velocitas, quippe in inſtãti, teſte Chriſto: *Paret ab oriente vſque in occidentem.* (Matt.24.27.) *In ſimilitudinem fulguris coruſcantis.* (Ezech. c.1.14.) Miraculum! Quòd volet aquila, quis hoc miratur? cum ſit ei naturale; quòd homo volet, nec hoc tam admirandum, cum quidam hominem depinxerint alatum, vt eius ſignificarent ſedulam diligentiam, vt Dædalum & Icarum, quinimo quoſdam videmus pedibus adeo celeres, vt illos volare dicamus. Nec omnino ab omni veriſimili alienum eſt, leonem volare, cum in eius naturali cõplexione ignis & ſol prædominentur, qui eum reddunt celerrimum, vt aliquoties inſtar paſſerculi campos percurrat velociſſimè. At bouem volare, ô prodigium! Prouerbium eſt. Tam eſt hoc impoſſibile, quàm quod volet bos; adeo, quòd tanta quoque volet celeritate, vt aquilam concomitetur, ſenis alis ornetur, &: *In ſimilitudinem fulguris coruſcantis.* Sidera petat. Deſine mirari: inquit, erat quippe bos animal plenum oculis, cui oſtenderant electrum, id eſt gemmam pretioſiſſimam, ac maximi valoris, quæ in ſe continet auri primi diuitias, purificati pulchritudinem argenti adeo relucentis, vt ex ſe radios emitteret tam claros, vt ijs ſolis lux obfuſcaretur. In hoc electrum omnes ſuos firmat bos oculos: nec mireris, quod licet grauis ſit bos, videns tales ſibi proponi diuitias, pulchritudinem, pretium, ad illa volet inſtar aquilæ, nec corporis ſentiat grauitatem quæ eum aut deprimat, aut remoretur. Liquet enim omnibus, quòd diuitiarum pondus, aut ingens lucrum, aut ſingularis & excellens pulchritudo grauiſſimum quemque & pigerrimum reddat leuiſſimum ac diligentiſſimum, excitet dormitabundum, animum addat militum Duci ignauo, alas maximè præpedito, etiam boui, vt celeritate volãdi non cedat Aquilæ. Dicat inſtitor qua volet celeritate ad ferias & nundinas: teſtetur ille, qui fodinam inuenit pretioſam, vbi magnas detexit auri vel argenti theſauros, quos poteſt in ſuam redigere poteſtatem; omnes citi, qui lucro, vel emolumento quodam ineſcantur.

Hæc Chriſti Domini noſtri mens eſt, vt omnem excutiamus ſocordiam, vt, ſicut poſtmodum nos hortatur Apoſtolus, viam tribulationum pœnitentiæ ac mortificationis percurramus: *Per patientiam curramus.* (Hebr.c.12.1.) Quî nobis poſſibile eſt currere, bobus ipſis qui ſumus grauiores, & corpus illud de terra ſurſum eleuare: *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam?* (Sap c.9.15.) Inſuper cum ſuper illud graue pondus, quod nobis proprium habemus, ipſe Dominus aliud nobis multò grauius ſuperimponat, crucem grauiſſimam: *Si quis vult venire poſt me* (Matt.16.24.) (paulo ante dixerat) *abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam.* Via tibi percurrenda, aſpera eſt, & accliuis, cum via ſit mortificationis, negationis omnium quas caro petit voluptatum: ferenda tibi crux laborum ac pœnitentiæ, vitæ auſteritatis, præſertim verò in aduerſis tribulationibus & perſecutionibus inuictæ patientiæ. Cum igitur ex parte noſtra ſimus adeo graues, addito deinde tantæ crucis onere, & via ſit accliuis ſuperanda, ſit: *vt curramus?* Faxit Deus, vt pedetentim gradiemur. Quis nobis ſuggeret animos? *Aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum.* (Hebr.c.12.2.) Ille eſt pretioſum illud electrum, gemma illa ſummi valoris,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

loris, qui in ſe continet & aurum diuinitatis & purificatum argentum humanitatis puriſſimæ: ille diues opum, gloriæ, ſplendoris, gratiarum, Maieſtatis ſupremæ. Et hæc tibi cuncta in præmium danda promittit: ſi aliquot vlnæ ſerici, ſeu gladius lanceæ ſuperpoſitus & hominibus oneroſis expoſitus, ad curſum eos animat per petroſa, ſic vt nec occurrens detineat viarum aſperitas, nec corporum onera: & cum nouerint non omnes præmium expoſitum eſſe obtenturos, nihilominus

1.Cor. 9. 24. omnes currunt. *Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium.* Quantò magis tibi alas addet, vt gnauus viam percurras virtutis, licet millenæ occurrant difficultates, ineffabile illud præmium à Chriſto propoſitum, regna ſcilicet, gloria, opes cœleſtes, præcipuè cum te non lateat, quotquot currunt, vt tenentur, prœmium illud eſſe adepturos? Videtur nobis illud hodie proponere, & adhortari: *Sic currite vt comprehendatis.* Attende quid agat curſor vt prœmia conſequatur: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Et quam, rogo te, hic coronam prætendit? corruptibilem, breui perituram, quam tinea corrodit, & tempus edax rerum conſumit: *Et illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*

☞ 8 Hinc rationem collige facinorum, geſtorumque Sanctorum Dei, contemplare eorum vitam, perlege flores Sanctorum: illos enim inuenies ardua quæque molientes, itinera non trita, ſaxo-

Pſ. 16. ſa, & aſpera percurrentes, quæ Dauid vocat: *Vias duras.* Miraberis illos opum contemptores, voluptatum refugas, honorum aſpernatores, vanitatum calcatores, deliciarum inimicos. Alios obſtupeſces, ignes non horrentes, incendia, gladios, lanceas, cruces, compedes, ſcruticas, verbera ſuperantes, à leonibus, tigribus, vrſis, tauris, ſerpentibus membratim diſcerptos, conſumptos, dilaniatos. Alios paupertate, ieiunijs, diſciplinis, vigilijs gloriantes, hi autem omnes per accliues, difficiles, aſperas vias currentes, curſu rapidiori, quàm vel auarus inſequitur nummos, vel luxurioſus delicias, vel ambitioſus honores, vt nulla ſit ſuper terram poteſtas, quæ currentes ſiſtere, aut remorari poſſe videatur. Quod illud ô Domine, prodigium: vt homines carnibus & oſſibus veſtiti, grauidi, & ex natura ſuis dediti delicijs ac voluptatibus inclinati, ſe libentiſſimè ac læ tanter ſubijciant cruciatibus, torturis, doloribus, & pœnitentijs, & non eſt qui vel ad momentum carnis indulgeat neceſſitati? O ſtupor, teneras puellas, quæ vel murem exhorreſcunt, vel ad enſem fugiunt euaginatum, verſari inter leones,

tauros, ſerpentes, nudos gladios quibus eos tyrannorum examinabat, inſatiata crudelitas, tanta mentis alacritate, vt tortorum tarda negligentia, eas vexaret ipſis cruciatibus acerbiùs! Ceſſet ſtupor: prœmium intuebantur, ex fide ipſis reuelatum: illi lumina ſua affigebant; illud ad volatum alas dabat leuiores, ac fortiores. Eô planè modô ſpectat D. Paul. antiquos illos Patres, percurrentes paupertatem, afflictiones, perſecutiones, carceres, hoſtes, ignes, lanceas, plumbatas, leones, exercitus, tanta celeritate, vt volare viderentur: *Sancti per fidem vicerunt regna,* Hebr. 11 33.
operati ſunt iuſtitiam &c. obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis &c. fortes facti ſunt in bello &c. diſtenti ſunt &c. vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt &c. Per fidem, & ex fide. Dicito mihi, quæro ô bone Apoſtole: quid eſt fides? *Fides eſt rerum ſperandarum ſubſtantia.* Baſis, & diuina lux, quæ nobis exponit, & ſperanda clariſſimè manifeſtat. Hæc Sanctos excitauit. Quis hoc operatus eſt, vt Abraham ad ſimplicis vocis auditum egrederetur de terra ſua, patria, parentibus, familiaribus, & peregrinationem ſuſciperet in longinqua, tam aſperam, tam ab omni humano ſubſidio deſtitutam, vt quò tenderet, ignoraret: ea tempeſtate (vt notat D. Chryſoſt.) quà mundum adhuc incultus & inuius horrebat, ſemper vt peregrinus? Reſpondeat D. Paul. *Exſpectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus.*

Quis Moyſen permouit, vt in Regis Pharaônis palatio enutritus, adoptatus à Principe regia in filium, & heres regni declaratus, his omnibus opibus, honoribus, delicijs vltroneus renuntiaret, ſe populo ſuo comitem adiungeret, ea omnia abnegaret, quæ ipſa terrena fortuna ſibi pollicebatur, negotia ſuſciperet tam ardua, plena laboris, ſe tyranno conſtans opponeret tam obdurato, ſcilicet Pharaôni, maris profunda calcaret, deſerta perambularet, dux creatus populi ſeditioſi, quò tot ærumnis, tot curis preſſus ad nauſeam fatigabatur? Reſpondeat D. Paulus: *Fide Moyſes, grandis effectus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis &c. Aſpiciebat enim in remunerationem.* De 6. 9. ad fin.
quibus die Mercurij proximo. Sic conformiter proſequitur Apoſtolus in lectione Sanctorum illorum Patriarcharum, & veteris legis virorum præclariſſimorum: quibus patet, quod huius prœmij intuitus ac conſideratio tribuat alas, quibus etiam bouem volare demiramur. Ingenioſè perpendit D. Aug. verba Regis Dauid, quibus hoc D. Aug.
ipſum inſinuat, ſummopere diuinam extollens in pſ. 35.
miſericordiam. *Homines & iumenta ſaluabis Do-* & tract
mine

30. in Ioannē, & ſer. 1. de diuerſis c. 3. & ſeqq. T. 8. 9. & 10.

mine quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus. Filij autem hominum ſub vmbra alarum tuarum ſperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Hoc primum notat D. Aug. quòd ponat differentiam inter homines & filios hominum. Primò quippe dicit: *Homines & iumenta ſaluabis Domine.* Et continuò addit: *Filij autem hominum ſub vmbra alarum tuarum ſperabunt* maiora bona.

Pſ. 35. 7.

Videtur (ait) D. Paul. nobis indicare diſcrimen dum ait, duos homines eſſe capita noſtri generis: vnum de terra terrenum nimirum Adam, alterum verò de cœlo cœleſtem ſcilicet Chriſtum. Adam abſolutè dicitur homo, quia eô modô fuit homo, vt non fuerit filius hominis. *Adam homo erat, ſed filius hominis non erat.* Chriſtus communi vocabulo ſeipſum inſcribit filium hominis: *Filius hominis* plurimis de cauſis quas SS. Doctores congerunt, quas modò non vacat elucidare. Qui gerunt Adami terreni imaginem, ſicut ex ipſo adeunt hereditatem eſſe naturalis, ſecundùm quid eorum cogitationes terrenæ ſunt, terrena tantum æſtimant bona, terrenos ſectantur affectus, ſic & in nomen ſuccedunt, vt abſolutè homines nominentur. Ita ait Apoſtolus: *Cum ſit inter vos Zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* Homines eſtis, & affectus, & deſideria carnis ſectamini. Hæc pars ſecunda declarat primam, q. d. Factô ipsô homines vos eſſe oſtenditis, & filios Adam terreni, cum illum imitemini in veſtris deſiderijs, curis, & cogitationibus. Qui verò imaginem gerunt hominis cœleſtis Chriſti, ſicut ab illo recipiunt hominis eſſe cœleſtis, in eſſe gratiæ, vnde illis accidit, vt eorum ſint cogitationes & curæ de cœlo, illa ſolummodo bona magnifaciunt, illa diligant, illa ſperent; ita & eius ſibi nomen aſſumunt, vt dicantur: *Filij hominum. Si vultis diſcernere iſta duo genera hominum* (inquit D. Aug.) *duos homines primo attendite, Adam & Chriſtum. Audi Apoſtolum, ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes viuificabuntur. Quando portamus imaginem terreni hominis, homines ſumus, quando portamus imaginem cœleſtis hominis, filij hominis ſumus, Quia Chriſtus filius hominis dictus eſt. Adam autem homo erat, filius hominis non erat.*

1. Cor. 3. 5.

D. Aug. T. 8. 1. Cor. 15. 3.

Adeſt modo vates regius, Dei miſericordiam admiratur. Hoc etenim declarauit, dum ait. (inquit D. Aug.): *Quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus?* Quod legendum eſt cum ſigno interrogationis, ſeu potius admirationis, phraſi valde familiari regio prophetæ, vt rei alicuius extollat magnitudinem: *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine? quàm admirabile eſt nomen tuum? quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine?* (Hic quoque legunt aliqui.) *Quàm multiplicata eſt miſericordia tua Deus?* eo quod nedum hominibus communicatur, ſed & ipſis animalibus, omnibus enim ſalutem impertitur. Nomine ſalutis id omne velim intelligi quod ad ſalutem acquirendam iudicatur expedire. Tribuis, ô Domine, hominibus & iumentis illos cœlos cum ſuis influentijs, ſolem qui illos interdiu illuminet, lunam & ſtellas quæ noctu; aërem das, quo reſpirant, terram quæ illos alat, aquas quibus refrigerentur, fructus quibus alantur, flores odoriferos, quibus delectentur. Si cuncta hæc ſint tuæ opera miſericordiæ, quanta illa erit miſericordia, quàm extenſa, quàm multiplicata, cum homines & iumenta & viuentia cuncta complectatur? *Homines & iumenta ſaluabis Domine. Sicut multiplicata eſt miſericordia tua Deus ſic enim es: quia Deus es* (inquit D. Aug.) *vt bonitas tua non remaneat in ſummis, & deſerat infima. Peruenit enim ab Angelis, vſque ad extrema, & minuta animalia.* Nemo Dauide elegantius.

D. Aug. ſer. 1. de diuerſ. cita. T. 10.

D. Aug.

Attamen notat (inquit D. August.) quòd hôc ipsô declarare voluerit, quanti ſint bona illa facienda, & hæc tibi propria non eſſe. Cum ſint tibi, cum iumentis communia, & in quibus multis paraſangis te præcurrunt animalia. Quid ſuperbus extolleris, ô homo, qui viribus polles, maioribus pollet leo, tu qui valetudine gloriaris, cum mulus potiatur conſtantiori: tu qui ob agilitatem euaneſcis, te longius præcurrit ceruus; tu qui formæ præſtantiâ inflaris: in hac te pauo ſuperat; tu qui viſu tumeſcis oculorum: cedere te lynci, oportet fatearis: *Ne extollerent ſe ipſi homines: quia habent temporalem ſanitatem, addita ſunt illis iumenta. Quid eſt ergo, vnde gaudes homo? Nonne tibi cum iumento tuo commune eſt, & cum gallina tua, cum quocumque animante, in domo tua, cum iſtis paſſeribus?*

Hæc eſt illa conſideratio, quæ te docebit, quanti te facere oportet bona hæc temporalia cunctis communia hominibus, aurum, argentum, gemmas, veſtes, cum qui his abundantius potiuntur; homines ſint eô plus terreni, & qui magis terream Adami naturam imitantur, Mauros, Arabs, homines ſine Deo; & tua bona, quibus perfectiùs gaudent animalia; ſanitas, vita, deliciæ. Magna eſt hæc tua, ô Domine miſericordia, quam cunctis exhibes; vera tamen, & multiplicata illa eſt, quam reſeruas filijs tuis per gratiam, qui eo quod eius portent imaginem, qui dicitur filius hominis, vocantur: *Filij hominum,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

num, & ſub tegmine alarum tuarum ſperabunt. His terrenis multò bona præclariora. O verba

D.Avg. omni melle dulciora, exclamat D. Auguſtin. ô ſententiam omni repletam ſuauitate illam audite, illam perpendite, hæc enim pluribus abundat myſterijs, quàm litteris: *Attendat charitas veſtra dulciſſimam ſententiam.* Primò, filios ſuos Deus ſub vmbra protegit alarum ſuarum; de hoc ſibi applaudebat ſponſa: *Sub vmbra illius,*

Cant.2.3. *quem deſideraueram ſedi.* Hôc ſymbolò myſterium declarat fidei, quod vt primum omnium ſtatuendum eſt fundamentum: fide quippe Deum eiuſque gloriam agnoſcimus, non claré tamen ac manifeſtè, vt ſolis lucem, ſed obſcurè, & vmbraticè: *Sed vmbra.* Ex illa ſpes naſcitur bonorum illorum cœleſtium: ob quam cauſam illam dicit Apoſtolus: *Rerum ſperandarum fundamentum.* Fides enim nos inducit ad Dei cognitionem, eius diuitias, ac gloriam exhibet vt obtineri poſſibiles, & nobis ab ipſo præparatas, vnde deſiderium, & ſpes earum in nobis exardeſcit. Si D. Thom. interroges quid ſit

2.2.q.40.ar.vit. ſpes? Reſpondebit tibi, quòd ala quædam ſit, quâ anima ſurſum fertur, ad bonum, quod ſibi repræſentatur vt poſſibile; quas non alas miniſtrat militi, ſpes victoriæ ac ſpoliorum, quibus, ſi ea potiatur diues ac lætus conquieſcat? Quas alas, quos animos agricolæ, ne timidus deſiſtat, bona ſua terræ commendare, contra eius duritiam decertando, eam, nunc occando, nunc paſtinando, nunc expurgando, ſpe meſſis dictus fœcundioris? quàm animo ſyncero potionem arripit infirmus amariſſimam, & brachium ſibi præſcindi patitur cancro vlceratum ſpe valetudinis ſe ipſo fortior?

II. Spes eſt ala qua volamus. Illud quoque Epithetum dedit Apoſtolus ſpei, dicens, eam eſſe, alam, quâ volamus: *Habemus ſpem incedentem vſque ad interiora velaminis.* Spes quæ incedit, quid inquis? *Incedentem, id eſt incedere facientem*; imo & volare facientem.

Hebr.9.19. Filij igitur, tui, ô Domine, ſub vmbra alarum tuarum, conuocati & admiſſi ad ſupernam fidem, quæ illis æterna bona, cœleſtem gloriam, & diuinos theſauros ſibi à te præparatos oſtendit, ſpem concipiunt, id eſt extenſas concipiunt alas, quibus aſcendunt, & proficiunt, deſiderijs, actibuſque feruentioribus, qua ſpe animati gradiuntur per lanceas, ignes, labores, perſecutiones, & afflictiones. Oculos ſuos in tuam dirigunt domum cœleſtem, delicias, & diuitias inæſtimabiles, & gloriam interminam, quibus fouentur, qui illò peruenerint, vbi gaudijs delibuti cœleſtibus, tantis replebuntur voluptatibus, vt mero pleni eſſe videantur: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quia apud te eſt fons vitæ.* Hoc illis vires addit, hoc alas tam extenſas miniſtrat quibus imperterriti ſuſcipiunt ieiunia, diſciplinas, patiuntur perſecutiones, tribulationes, ſeſe exercent operibus pietatis, vt veracius dixeris eos talis inſtructos volare, quam pedibus progredi.

Hoc ſignificarunt, inquit D. Gregor. illa my- D.Gr. ſteriosa animalia plena oculis, plena alis quibus volabant: *In ſimilitudinem fulguris coruſcantis.* Ho.4. in Ezech. ad medium. Ad menſuram quâ creſcebant & multiplicabantur oculi, creſcebant & extendebantur alæ: quia pro menſura, quâ tuæ mentis oculos ſuſtuleris in altum, fide illuminatos, ad ſuperna illa bona, ſpes quoque extendetur, & eorum accendetur deſiderium, quô proficias, & aſcendas, vt licet grauis ſis, velut bos, alas tibi tam largas miniſtrabit, vt volare præſumas vt in huius diſcurſus exordio notauimus. Hoc ad oculum patet in ſanctis pro vt diximus. Hinc quoque potes rationem elicere, cur tam ſis animo deiectus in infimis, vt nec te altiùs vnô digitô de terra ſurſum erigas: ſtudes non niſi terrenis, curas non niſi caduca, delicias non ſectaris niſi perituras, vt pecus irrationale, terrenis hiſce ſolummodo à Deo deſtinatum. O frater chariſſime; ſub vmbra alarum Dei confugito, id eſt æterna conſiderato bona, quæ tibi reuelat fides, mentis aciem aperito, contemplare, & videbis, quomodo alis his protectus alas viuæ ſpei concipies, quibus peruolare poſſis viam virtutis etiam aſperrimam. Oculos aliquantum attollito fide illuminatos, attendito quæ regna, quam gloriam, quas tibi Deus diuitias præparauit, quam ſit illa diſtincta gloria, quam diſſimiles diuitiæ, his quas mundus largitur miſerabiles, caducas, perituras &c.

§ 4. *Hâc gloriâ nos hortatur David, ſignum eſt illud, quod Deus eleuauit, vt congreget populum, ad inuadendum cœlum.*

INter alia myſterioſa Dauidis verba, hæc præ- 10
cipuè ſignantur à ſanctis ex pſalmo: *Signa-* Pſ.4.7.
tum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine; & illa videtur dixiſſe, quaſi præſens adeſſet huic ſpectaculo. Concionem exorditur propheta, & diuino percitus œſtro, hominibus rerum caducarum & terrenarum perſuadet contemptum: